



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōōCCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.



98.



Συμ Θεω
DISPUTATIONUM
ETHICARUM.

IV.

De

APPETITU, EIUS.
QUE AFFECTIBUS.

*In Inclytà VVittebergensi Academia
proposita*

PRÆSIDE

M. NICOLAO HUNNIO
Marpurgensi: Fac. Phil. Adjuncto,

RESPONDENTE
JOANNE RITSCHIO
Neosoliensi Pannonio.

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni, Anno 1611.





A

titus.

tas sua



vel. l. i. Me
ritus gener
nos & a lo
quam facul
intellectun
sensitivo :
intelligim
II. H
ritu tantum



σὺν Θεῷ.

De
APPETITU SEN-
SITIVO.

I.

Materia virtutis circa quam est appetitus.

Appetitus est anima sensitiva facultas sua via prosequens & injucunda fugiens.



Uam polliciti sumus proximè considerationem materiae virtutis circa quam; in praesentià damus, *appetitus* titulo eam inscribentes. Cum verò appetitus alius sit naturalis, alius vegetalis, quorum uterq; cognitione praevia destituitur; alius qui cognitionem rei sequitur; *vid. Piccol. l. 2, de mat. pr. 6, 10. la- vell. l. 1. Met. quest. 3.* prioribus istis sepositis; de posteriore appetitus genere sermonem instituemus. Verùm & is duplex: λογικὸς & ἄλογος. Uterq; praeviam postulat cognoscentem aliquam facultatem, quatenus ignoti nulla cupido: hic sensum, iste intellectum. Res non erit in praesentia de intellectivo, sed sensitivo: quem nominantes, omnium affectuum congeriem intelligimus,

II. Hic ergò respondendum quaestioni: *sintne affectus in appetitu tantum: an verò etiam in voluntate?* Distinguendum cùm *Piccolomineo*

mineo grad. 4. c. 3 inter τὰ πάθη ἀναλόγως, seu μεταφορικῶς & κυρίως, καὶ ἰδίως dicta. Hi dicuntur, qui aliquam corporis commotionem conjunctam habent, ut in terrore, metu &c. videre licet. Illi, qui similitudine quapiam propriè dictis respondent. Prioris qui sunt generis, cum & Deo & Spiritibus creatis conveniant, multò rectius voluntati etiam adscribentur; idq; eatenus, dum voluntas rem aliã & aliam sub ratione spei, amoris &c. ad modum appetitus sensitivi concupiscit. Posterioris generis nullū πᾶσι τὸ λογικόν afficit; hoc enim sine organo corporis operatur, ideoque corpus immediatè non afficit aut movet.

III. Si verò quærat, an isti voluntatis motus analogiã quapiam affectibus sensitivis respondentes virtute dirigente opus habeant? Cum distinctione est respondendum. Nam 1. motus voluntatis ad bonum tendunt quã honestum; appetitus verò in bonum, ut suave. Quoniam ergò bonum nunquam est malum; honestum nunquam inhonestum; non est, quod metuamus voluntatem honesta, & bona spectantem inhonesta committere aut mala: ideoque nec virtute opus, quæ voluntatem id, quod sponte, ac naturã agit, agere doceat. E contra: appetitus ad jucunda fertur, quæ sæpè, imò plerumq; mala, & inhonesta. Igitur virtute cavendum, ne appetitus ad jucunda pravitatem conjunctam habentia ruat, quod de voluntate timeri nequit. 2. Actiones voluntatis duplices sunt, elicite, quas edit per se, non per potentias inferiores: & imperate; quas inferioribus facultatibus exequendas imperat: Ad illarum quidem executionem nil opus habet virtutũ adminiculo, has verò absq; virtutibus expedire nequit. Proinde opus habet non virtutum dominio & magisterio sed earundè ministerio: dum & organa & ceu arma se habent, in domando appetitu voluntati subservientia. 3. Concedendũ in super, operationes voluntatis virtutem suo quoq; modo principiũ, & causam agnoscere: non quidem ratione sui εἶναι, nisi fortè suasorẽ virtutẽ dixeris; sed ratione τῆς εἰς εἶναι sui benè esse ut dum trepidiusculè ac tepidiuscule agit voluntas; virtus eandè consolidet, atque confirmet.

IV. Deinde appetitui non boni, sed jucundi prosecutionem: non mali, sed injucundi fugam adscribimus; eo, quòd, quicquid appetitur, sive à voluntate sive appetitu, id bonum est nonnunquam

Φαυό-



II. Differentiâ definitionis litem tangit Stoicorum & Peripateticorum, qua super *subjecto affectuum* proprio digladiantur; illis unicè menti, tanquam extremam ipsius corruptionem adscribentibus: his sensitivæ facultatis commotionem asserentibus. Cæterum: falsitatem Stoicæ opinionis hæc facile demonstrant, 1. Nullum accidens invenitur, nisi in suo adæquato subjecto. Cùm verò bruta, & pueri usu rationis destituti affectibus agitentur, utpote in quibus iram, metum, gaudium, ac similia deprehendimus, ratione tamen vel omninò, vel saltem quoad usum destituantur; firmè concluditur, mentem adæquatam subjectum τῶν παθῶν haudquaquam esse. 2. Actio, & facultas agens circa idem occupantur subjectum: visio, & vis visiva; sic mens ejusque actio. Atqui mens primò est universalium; affectus singularium, sic docente experienciâ. 3. Præterea: intellectivæ potentiae operationes omnes sunt immateriales, hoc est, nullis corporeis utuntur organis. Affectus econtrâ in facultate materiali radicanur; id quod movendo corpus satis clarè demonstrant, unde λόγοι ἐνυλοὶ dicuntur *Philosopho lib. 1. de an. cap. 1. § 15.*

III. Interim τῷ λογικῷ non omninò denegandi videntur affectus. Nam 1. ἀναλόγως insunt gaudium, amor &c. quatenus lata & amabilia ab intellectu suggeruntur voluntati. 2. Originaliter & ut causæ generanti affectum in appetitu: Idque 1. objectum recipiendo; quatenus in ea facultate recipiuntur, quæ appetitum, ad prosecutionem, vel fugam commovent. 2. motum imperando; hoc enim est dominium τῷ λογικῷ ἐν τῷ ἄλογον, ut hoc pro illius arbitrio moveat, & agat: 3. Affectum dirigendo, id est, metam præscribendo, gradus definiendo, convenienti subjecto accommodando. *vid. Piccol. grad. 1. c. 8. 9.*

IV. Porro: duæ sunt facultates ἄλογοι in homine; vegetativa & sensitiva. Affectus in vegetante minimè hærent; aliàs & plantæ forent illius participes. Ergò in sensitiva, At in hac facultate considero δυνάμην αἰσθητικὴν, ὁρεκτικὴν κινήτικὴν κατὰ τόπον. Non est in prima. 1. sensibus quiescentibus affectuum dantur motus. 2. Sensus rerum objectarum speciem dijudicant; non quam in recessu habent, bonitatem, vel malitiam. 3. Sensus

rheo.

theoretici sunt, affectus practici. Ulterius nec in locomoti-
va, utpote quæ inservit affectibus. Ergo appetitivâ, cujus
est rem prosequi, & fugere, quod faciunt affectus.

V. Sic ergo menti non inesse τὰ πάθη, probatum: ex quo
spontè sequitur, non esse corruptiones mentis. Attamen; non
prætermittendum, quod iidem Stoici affectus res dixerunt toto ge-
nere, omniq³ sua latitudine malas. Quamvis enim maximam, quæ
ijs adhæret inordinationem, nemo probet; ipsorum tamen in se,
abstractis gradibus, consideratorum bonitatem schola Theolo-
gica pariter, & Philosophica satis, superque probat. Compre-
hendam rem omnem generali syllogismo. Quicquid 1. cau-
sam per se bonam agnoscit. 2. effectus protrudit bonos. 3. In
summo bono analogiâ quapiam refulget. 4. Organum est, pro-
rector, ac defensor rationis à naturâ ordinatus 5. Necessaria est
virtutis conditio. 6. Suasor existit bonarum actionum; id sa-
nè toto suo genere malum esse nequit. Ratio 1. & 2. memb.
est maxima Logica: si causa per se bona, effectus bonus: Item: si
effectus bonus causa est bona. 3. In summo bono neque est
ipsum malum nec imago, aut similitudo mali. 4. Officium na-
turale honestum est, & bonum; quo cum natura rem quandam
dignatur: eam bonam esse oportet, 5. Virtus ad summum
bonum proximè accedit; quomodò ergo rem omninò malam,
ideoque sibi adversam vocaret in subsidium? aut quomodo res
statuenda laudabilis, quæ turpitudinem præsupponat? 6. Quid-
vis suadet suæ naturæ congruas actiones: nihil enim contrarii sui
existit causa.

VI. Atqui affectus 1. causam per se bonam agnoscunt, De-
um, ἀντάγαθον; quod tùm ex eo patet: quia brutis animanti-
bus eos increavit; tùm præcipit & approbat dilectionem, seu a-
morem Dei, & proximi. Matth. 22. v. 37. 39. Rom. 12. v. 9. timorem
Deut. 3. v. 10 gaudium, Pro. 27. v. 15. misericordiam. Luc. 6. v. 36. odi-
um. Psal. 139. v. 21. 2. Effectus bonos generant. Misericor-
dia facit sublevare pauperem, metus pœnæ justa agere: Spes eri-
git afflictos ac bona sperata facit prosequi: metus futuri mali
media istud effugiendi suggerit: amor benefacit proximo: & sic
de cæteris. 3. In summo bono analogiâ relucet.

Duples

Duplex verò illud, a bsolutè summum, Deus. In hoc amor *Ioh. 3. v. 16, 1. Ioh. 4. v. 8. 16. misericordia Psal. 103. v. 8. Luc. 6. v. 36. pati- entia Rom. 9. v. 22. cap. 15. v. 5. Ira Ioh. 3. v. ult.* Et summum κατὰ τὸ ἐν ἰν genere bonorum civilium. Hoc ex se protrudit amicitiam, quæ nil nisi amor constans & inveteratus: & quæcunq̃ue bona ob eam, quam secum habent, naturæ convenientiam amat, sibi conjuncta cupit, & quibus potest, modis, prosequitur, mala ob naturæ disconvenientiam fugit, ac respuit. 4. Affectus *ministri* sunt, seu organa facultatis rationalis. Quicquid enim per corpus expeditum vult ratio appetitui mandat, qui per affectum locomotivâ, omnibusq̃ue ad eam rem necessariis facultatibus & organis excitatis mentis jussa exequitur. *Defensores* dum τὸ θυμὸν adversa & inimica profligat, adeoque vim tum à se, tum ab integro subjecto & consequenter à mente depellit. Quod certè cum homo non faciat, nisi per affectus, liquet, iis non parum hominem perfici, utpote qui solus vim inimicam depellere, & adversus sui φθάρην defendere nesciret. 5. Virtus ad bona, & mala nunquam se habet æqualiter: sed ex necessaria, & essentiali sua conditione à malo abhorret, bonum verò attrahit. Hæc autem omnibus ab affectu, citra cujus opem nihil in universo homine quo is quicquam vel appetat, vel fugiat. Ut ergò virtus sine affectu talia nō exequitur, sic nec absq̃; illo virtutis nomine digna censenda. 6. Sextū minoris membrum ex 2. claret. Conclusio proinde sequitur; τὰ πάθη non absolutè mala, sed in se bona esse. VII. Subjungit definitio: *affectus movere corpus*. Hoc enim eorum natura, ut non ipsi modò bonum appetant, à malo abhorreant sed integrum animal ad eandem actionem instigent. Hinc fit, ut ipsum quoq̃; corpus afficiant, quippe quo mediante actiones expedit, & quo mediante anima fugit. In hoc verò motu ordinem observat natura; ut πρώτως cor, primum omnium ἐνύλων actionum principium; δευτέρως cœtera membra afficiantur, quæ & ipsa suis gaudent prærogativis & primatibus, ut hoc quidem πᾶσι ἐπιτάσσεται, aliud alii membro acceptum feratur. VIII. Denique *non naturalem motum* definitio affectum nominat. Non naturale interdum est, quod naturæ inimicū: aliàs, quod ab ex-

ab externo pendet principio. *Zabar. lib. de motu ignis cap. 7.* Hic motus utroque modo non naturalis nuncupari potest: siquidem & gaudiū subitaneum quibusdā mortem attulit *Gen. lib. 3. Noct. c. 15.* metu, & angore non dubium est, multos emori: Etsi verò hæc non faciant ut *πείθη*, sed ratione accidentis alicujus; puta, nimie intensiōnis, aut velocitatis; arguitur tamen ex nimii affectus nimio motu, affectum remissioem itidem movere, licet remissius. Deinde principium ejus objectivum foris est, quod cum violentia quadam, & impetu facultatem, ejusque organa excitet, facili momento eadem lædit ac violat.

II.

Affectuum duo sunt genera 1. quibus appetitum objecta 2. quibus appetitus objecta respicit.

Prioris generis est voluptas & dolor.

Voluptas est motio anima, & subita, ac sensibilis constitutio in statu natura conveniente. Dolor contra.

I. Amicitia, ut & inimicitia semper est reciproca, & contractus mutuus. Perfectam ne dixeris amicitiam, qua tu non redamatus amas: nec inimicitiam perfectam sine hostili affectione mutua. Cumque appetitui cum externis objectis his quidem amicitia, illis verò intercedat inimicitia, utiq; motū oportet esse alium, quo appetitus ab objecto patitur, & alium quo in id ipsum agendo reflectitur. Prioris duo sunt genera: vel n. objecti actio est appetitui congrua, & voluptas, vel incongrua & dolor appellatur: Sic & posterioris: aut enim objectum est amicū appetitui, illudque amore, aut inimicum, & odio persequitur.

II. *Voluptas* in Ethicis non uno modo consideratur. Est enim aliqua honesta, virtutem; alia inhonesta vitium insequens, alia *ἐδέσθω* quæ naturalis appetitivæ facultatis motio, sive ab honestis, sive turpibus ciatur: de qua præcipua nobis est quæstio.

B

Quan-

Quantumvis autē hujus voluptatis, ut & doloris non una sit, eadēdemq; ratio; prout nimirum alios, aliosq; conjunctos habent affectus, nil tamen juvat accuratā hīc instituere distinctionē, quippe ad physicam spectantē; sufficiet namq; cognitio qualis qualis.

III. *Motionem* quando dicimus, non activam intellectam volumus, sed passivam: quia voluptate movetur animal, non movet, afficitur, non afficit. Causam efficientem agnoscit externa objecta, quorū vel actio, vel contactus, & cōjunctio naturę est congrua; atq; hunc animū, & beneficū contactū voluptatem rectē nominaris. Quāvis de hoc bono animal sibi ipsi gratuletur, sicq; passioni accedat quoq; & superveniat quēdā actio; & consequenter voluptas ratione hujus sui complementi evadat activa.

IV. *Subita motio, & sensibilis* dicitur: *Subita* ob naturam actionum intentionalium, quę non tractum aliquem temporis postulant, uti quidem ob materiam moras causantem actiones materiales requirunt: *Sensibilis* non quidem, quasi externis sensibus voluptas pateat; quę intus potius latitans signis tantūm sese prodere solet, verūm; quōd 1. solis sentientibus objectis competat: nec enim sensu destitutis sive plantis, sive quibuscunq; inanimatis, similiter nec rationali, ut tali verē, nisi κατ' ἀναλογίαν tribuitur. 2. Per sensus tanquam media, & ὀχήματα toti subjecto defertur, 3. Ideoq; sensus primò afficit.

V. In his voluptati convenit cum dolore, id verò quod adjicitur, *in statu naturę conveniente*, discrimen efficit satis luculentum. Etenim hominis dolor naturę adversus est, & inimicus: idcirco facit eam in statu inconveniente prorsus & adverso constitui. vicissim ergo voluptas naturam in statu ponit congruo, eam suaviter afficit, multūm perficit. Quę omnia seipsis clara sunt, nullius expositionis longioris indiga.

III.

Amor est motio appetitus, qua rem aliquam prosequimur, quantum est utilis & delectabilis.

Odium est motio appetitus, qua rem aliquam fugimus, & repellimus, quatenus inutilis est, & injucunda. Quæ

I. Quaecunq̄ hoc in loco de affectibus dicturi sumus non considerabunt eosdem materialiter, quatenus per corporea organa sese exerunt: sed tantum nudè prout in animæ facultate consistunt: utraq̄; sanè consideratio physici est: illa tamen nostrum scopum planè non ferit; & ad Medicos potissimum spectat: hæc verò virtutis materiam haud parum illustrat.

II. *Amoris & odij* appellationes frequenter in significato generali capiuntur pro qualicunq̄; conspiratione, & ad se invicè inclinatione, vel etiã repugnantia, sive sit naturalis sympathia; & antipathia; sive habitualis, & cõsuetudine contracta seu bene seu malevolentia. Sed propius accedentes ad rem distinguimus inter amorem naturalem & animalè: quorum illo, ut dictum, seposito, posterior non nihil considerandus venit. Armandus Bellovis. tract. 2. c. 84. tres constituit amoris species: unum nominans concupiscentiã, quo nobis bona, & suavia prosequimur: alterum benevolentia, quo alteri bonum præsens optamus: tertium complacentia, quo alteri precamur bonum absens. Quorum duas posteriores species ad rem nihil facere, vel obliq̄; saltem, constat. Ideò primæ speciei congruentem definitionem apponere placuit.

III. Nominatur verò generaliter *motio appetitus*, ut distinguamus amorem habitualem ab actuali. Ille dormienti etiã, & quiescenti appetitui inest; & rectius qualitas nuncupatur, qua appetitus ad hujus rei prosecutionem inclinatur, atq; propendet. Hunc amationem *Φίλησιν* rectius quis dixerit. Eadem ratio odii: aliàs enim *ἀντιπάθεια* est eorum, quæ sensu prorsus omni destituuntur, aliàs quasi habitus quidam in appetitu quo is promptè incitatur ad fugiendum & repellendum adversa.

IV. Porrò: amorem diximus *prosequi*: est enim principium, quo extimulatur animal ad prosequendum. Prosecutionè verò hanc duplicem nominare licet elicitam & imperatam: per illã intelligimus actionè *τῆς ὀρεκτικῆς*, qua rem absentem volendo, & optando insequitur, nulli interea facultati hoc ipsum communicans: de præsentè verò sibi gratulatur & ne rursus à se divellatur, studiosè cavet. Hanc imperatam nuncupamus prosecutionem, qua non intra sese appetitus defungitur, sed cæteris excitatis facultatibus sensibus puta & locomotivã, eam, quam expetit, rem pro virili insequitur.

B 2

Simi.

a una sit, eos
os habent af-
ctione, quip-
qualis qualis.
lectam vo-
al, non mo-
it externa ob
naturæ est con-
pratem rectè
gratuletur, sicq̄
& consequen-
at activa,
ram actionum
is postulant, u-
nes materiales
sibus voluptas
prodere solet,
erat: nec enim
imatis, simili-
tribuitur. 2. Per
o deserunt, &
5 quod ad jici-
luculentum,
nicus: idcirco
o constituit vi-
uo, eam suavi-
ara sunt, nulli-
aliquam
lectabilis.
rem ali-
enus innu-
Quæ

Similiter hac quoque in parte se habet odium: quod vel intra facultatis appetitivæ limites sese continet, vel per aliarum facultatum ministerium foras prorumpit. Quæ actio rursus duplex esse potest, aut enim movet ad rem aliquam fugiendum, aut à nobis avertendum, & repellendum, aut denique vim inimicam alteri inferendum.

V. Causa dicti motus additur, *utilitas & suavitas*. Nam ut præcedentia monuerunt, triplex est bonum; honestum; utile, & iustum: sub ratione honesti voluntas suâ objecta desiderat: tanquam utilia verò & jucunda appetit. Videmus namque, bruta nullo motu honesta, quâ talia desiderare; sed unicè ut utilia, & suavia. Hic ergò duplex finis amoris & odii quo extimulatur & in quo absolvitur ac conquiescit totus quo etiam à voluntatis motione, sufficienter distinguitur.

IV.

*In specie circa bonum futurum occupatur:
Spes; circa præsens gaudium.*

*S.P.E.S. est motus appetitus, quo bonum
absens & futurum insequitur.*

I. Spes interdum virtutem significat Theologicam; nunquam animalem affectum. Discrimen est satis luculentum: quod etiam de posteriore saltem rem nobis esse clarè demonstrat. Quærimus enim spem, 1. omnibus hominibus imò eidem etiam cum brutis communem. 2. Occupatam in bonis hujus seculi. 3. iisque corporalibus, civilibus. Spes verò Theologica 1. non est brutorum; imò nec omnium hominum, sed fidelium saltem. 2. occupata in bonis futuræ vitæ. 3. iisque spiritualibus, & æternis.

II. Spes præterquam; contradistinguitur à desiderio, tanquam bona sectans ardua, hoc interim quæcunque amabilia prosequente. Est desiderium idem; quod optatio & definitur inclinatio voluntatis ad habenda bona, quibus caremus; aut excutienda mala, quibus premimur. *Scal. exerc. 317. sec. 3.* Quam definitionem spei accommodare non video, quid prohibeat: quare aut

re, aut essentielle discrimen intercedit utrique nullum, aut si quid est, desiderium spei genus constituere, nil inferet absurdi.

III. Definivimus *spem per boni prosecutionem*: id quod ea facit modò immediatè, cum res, quam sperando optamus, per se bona: modò mediatè, quando rem ideò expetimus, non quod ex bona, sed quia finis insequens, bonus. Prosequitur verò, non ut vi apprehensura, nec labore, aut cursu comparatura, verùm intra se jam non quiescens, seipsam foras quasi ad bonum, quod se-ctatur, protendens. Idque non sine admixto metu; sine quo si esset, jam spei nomine prorsus indigna fieret.

IV. Hinc quatuor eliciuntur spei sive propria, sive requisita.
1. *Objecti bonitas*. Bonum verò aliud quidem ἀληθές est, aliud φαινόμενον saltem. Si hoc, vera spes non est, quia illud quod optat, consequendo, decipitur. Alterùm rursus duplex ἀπλῶς & κατὰ τι, bonum. Prius tùm illud dico, quod non speratur, nisi propter seipsum; tùm, quo superius bonum non datur (Deus, ejusque agnitio vita æterna) Posterius; quod est propter aliud, nec speratur, nisi, ut eo mediante aliud obtineatur, 2. *Boni absentia*. Rom. 8. v. 24. Spes quæ videtur; non est spes: nam, quod videt quis, quid sperat? 3. *Absentis optatio, seu appetitio*. 4. *Optati possibilitas*. Etenim, bonum impossibile frustra quæritur, frustra proinde & desideratur.

V. Ad eundem modum *Spes malum fugit*, sed per accidens; quatenus bonum speratum à malo prohibetur, ideò mali cum præsentis, tùm futuri aversionem speramus, non aliter, quàm ut bono optabili, cujus desiderio ducimur, locus relinquatur. Atq̃ hæc causa quòd à definitione hoc membrum alienum produxi-mus.

V.

G A U D I U M est motus appetitus, quo bonum præsens amplectitur, fovet, tenet.

I. Læticiam, gaudium, hilaritatem pro æquipollentibus vulgus censet; discriminis tamen nonnihil se offert. Est enim gaudium cordis, seu animi; læticia gestuum, hilaritas faciei, Gaudere intrinsecus est, latari extrinsecus ait. Laur. Valla lib. 6. Eleg. cap. 12.

B 3

Utut

Ut ut verò differant, arcto tamen vinculo connectuntur, & ordi-
ne quodam dependent. Gaudium fons, & radix cæterorum: cui
proxima hilaritas: os namq; & oculi affectus in corde latentis
nunquam non sunt certi indices: hinc læticia qua in externos
etiã gestus, sermocinationes &c. gaudiũ cunctis erumpit viribus,
II. Amplius: gaudium *amoris* etiam nomine nonnunquam ve-
nit, nec id malè. Præterquam enim quòd gaudium amorem tan-
quam genus suum essentiali complexu comprehendit; magis et-
iam propriè amare dicimur præsentia, quàm futura; ideoq; amor
genus constituit ἀφ' ἐνός; ejusq; species principalis est gaudium,
minus principalis spes, ut pote, quæ propter secururam futuri præ-
sentiam amoris nomine digna censetur. Etenim, sicut præteritum
est, quia præsens fuit, & futurum est, quia præsens erit: sic & spes
est: quia gaudium erit.

III. Insuper voluptati conjunctum est gaudium, non tamen
cùm ea idè: illa namq; ex alio quidem oritur, ad aliud tamen non
refertur, sed intra suos, suiq; subjecti terminos coërcetur: gaudium
verò gaudemus propter aliud cujus amore ducimur, quod tene-
mus & amplectimur.

IV. In definitione tria specialia de gaudio enunciuntur: 1. *Præ-
sens bonum amplecti*. Ut enim spes imaginem saltem ac speciem
boni amplectebatur; sic idem nunc actualiter continet. Ample-
cti verò non tantum est continere, sed tenaciter, & arctè com-
plecti. 2. *Fovere*. Ne erga bonum præsens nos exhibeamus moro-
sos; illudq; flocci faciamus; quin potius promptè exceptum sic te-
neamus, ut nec dimittamus spontè, nec ansam, aut occasionem di-
scessus ullam præbeamus: e contra, quicquid eripere id ipsum aut
posse, aut velle videtur, studiosè caveamus 3. *Tenere*. Gaudium
nullum est, quod momentaneum: intenditur enim sui duratio-
ne, ut tantò sit majus, quantò durabilius; eò vicissim minus, quò
brevius. *Prov. 14. v. 13.* Ad verum proinde gaudium requiritur, 1.
amplexus; quo cor sibi conjungit bonum præsens. 2. Aversio eo-
rum, quæ hoc bono privare, & adhibitio eorum, quæ conservare
possunt.

VI

*METUS est motus, quo appetitus mala fu-
tura, & imminetia fugit.* 1. Ari-

I. Aristoteles metum definit προσδοκίαν κακῆς 3. Eth. 9. Expectatio mali in audaces etiam cadit, at sine timore; idcirco materialiter saltem hic definitus videtur metus. Ad pleniorē verò definitionis intellectu hęc juvabit in metu considerare, 1. Requiritur malū impendens, sive id φάνομενον sit, sive ἀληθές; idē: vel ἀπλῶς, vel κατὰ τὴν. Impendeat autem non secundum nostram tantum, vanam scēpē, persuasionem: metus enim is proprie non est, quem sibi fingunt imprudentiores ipsi cœli ruinam interdum metuentes ideo nisi malum sese quoddam ostendat, metus vanus est, seu proprie nullus.

II. 2. Malum imminens cognoscatur. Ignota qui expectaremus? Et si verò metus nonnunquam suboriri videatur, cujus tamē causam ignores; nec verò quid metuas noris, attamen proprie dictus metus, sine cognitione prævia nunquā datur: nā, uti nulla ignoti cupido, sic contra nullus ignoti metus. 3. Sit malū futurum, Præsens non metui mus, nisi forte ratione continuationis quo respectu malum præsens futurum est. 4. Fugiatur. Fugam similiter, ut & persecutionem in cœteris non de imperatā simpliciter intellectam volumus, quasi vel loci mutatione, vel externa quapiam ratione objectum malum fugiat: sed & hic sufficit elicitā, quomodo fugit appetitus non appetendo, non consentiendo, absentiam optando; quamvis ἐπομένως, & contingenter viarum, quibus advenit, ac præsens fititur malum, sollicita accedat interclusio.

VII.

TRISTITIA est motus appetitus, quo is malum præsens, sese illi subducendo fugit.

IRA est motus appetitus, quo is malum præsens vi, aut retributione avertit.

1. Duplex est ratio mala effugiendi, 1. placida, & facilis; subductio scil. operam dans ut nosmet ipsos malo subtrahamus. 2. morosior vi quapiam à se amolens mala. Prior tristitia nuncupatur posterior verò ira. Illa nonnihil conjunctum habet patientiæ; hæc violentiæ.

Tri-

& ordi-
rum: cui
de latentis
externos
it viribus
quam ve-
orem can-
magis et-
eoq; amor
gaudium,
futuri præ-
ræteritum
sic & spes
non tamen
tamen non
ur: gaudio
quod tene-
tur: 1. Præ-
ac speciem
et. Ample-
arctē com-
nus moro-
tum sic re-
sionem di-
ipsum aut
Gaudium
i duratio-
minus, quò
uiritur, &
versio co-
onservare
alafu-
1. Ari-

Tristantes ad verum malū fugimus retrocedendo, irati resistendo, ac vi repellendo. Tristitia intra subjecti sui metas se continet, ira ad extra erumpit. Tristitia operat aversionem; ira ejusdem in alterum subjectum translationem. Sic namque comparata est ira, ut licet malum à se non auferat, & avertat re ipsa, egregie tamen avertisse putet, ubi par pari retulerit; ita quidem, ut ubi malum ultra fuerit, illud usque adeò non sentiat ut potius in gaudium, etsi præposterum transeat.

II. Quòd motus appellatur, colligitur, *aliud esse iram, aliud iracundiam*: Hæc habitus rationem obtinet, interdum ex naturali dispositione, & contemperatione exurgens: illa furor quidè brevis, & citò transiens effervescencia: Quòd fugere dicuntur, sequitur; *tristitiam veram non esse qua tristamur de causa nulla vel saltem incognitâ*: qualem naturalis sympathia excitare solet, dum amicorum sanguine junctorum, amici & cognati; parentes liberorum, liberi parentum casus adversos è longinquo agnoscere, & laborantibus compati videntur.

μόνος θεῶ δόξα.



Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



98.



Συν Θεῶν
 CITATIONUM
 THICARUM.
 IV.
 De
 TITU, EIUS.
 AFFECTIBUS.
 Wittebergensi Academia
 proposita
 RÆSIDE
 DLAO HUNNIO
 si: Fac.Phil. Adjuncto,
 SPONDENTE
 NE RITSCHIO
 oliensi Pannonio.



WITTEBERGÆ
 hica Iohannis Gormanni, Anno 1611.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.